



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

XIV. Quod per reuelationes ordine mirifico ad Hiatoscopolim id est Ratisbonam, est translatus, ibiq[ue] honorificè est humatus, & quia pax ætheris redijt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

exequias prosequuti, viscera commiserationis vōtis indulgere fidelibus. Ementā iam magna itineris parte, in campum quendam gramineum tribus milibus distantem à vi-co A S C H E I M perueniebant: & ecce transmigraturus ad cœlestia beatus Pontifex voce qua valuit eiulare cœpit, innuens horamvocationis suæ aduenisse. Quod quidam commeantium subtiliter discernens, vt de plauastro leuatum Christi Martyrem dimitterent telluri, cum præmonuisset socios, mox herbido in aprico loco tremebunda religione resolui cœpit. In exitu vero sanctæ animæ illius de Ægypto huius mundi, lucem quasi lampadis immensæ ex ore sancti viri processisse, cœlumq; ipsum penetrasse, cuncti assistentes videbant, tantaq; vis iubaris erat, vt intuentium oculos quasi fulminando reuerberaret, pauorq; membra eorum tremore concuteret, vt vix beati viri corpus in plaustrum auderent reponere. Itaq; inde digna patre reuerentia ad præfatum A S C H E I M perductum in Ecclesia beati Petri Apostoli, confaudentibus eius loci populis, debito sepelierunt honore. Sed quoniam eius resurrectionis diem beatissimus Pontifex præstolari minime voluit, exigente iustitia, vt quos fidei gremio nutrierat, eis quoq; sacri corporis patrocina-retur reliquiis, cœpit orbis natura moueri, atq; elementorum violentia tanti sacerdotis nutum prædicare. nam coorta subito ventorum procella, lucida regio poli nubibus obducitur, & contenebratur cœli facies, mugitu tonitruī, fulguribusq; , mortalium corda terrentibus; dissoluto interim in pluuias & defluentes amnes aëre continuis quadraginta diebus.

## XIV.

Tunc sicut in angustia semper humanum genus de insuetis attendit, & de periculis requirit, consulta est diuina potentia & pietas exorata, donec visu nocturnæ reuelationis

tionis declaratum est, deberi felices RELIQUIAS festinato ad urbem R A T I S B O N A M inde transferri. Vnde primates loci illius adunati, sublatum à sepulchro venerandum corpus ad I s v R A M fluium nauì impoferunt, accensis, iuxta religionis modum, careis. Ibi cum defluum iter, amne in propria ruente, sequerentur, per ostia ipsius ad Danubium intrauerunt. Inde contra ortum fluminis enitentibus, quod sine magno labore consuetudo naturæ non præstat, tanta celeritate res immobilis contra mobilem meritis Martyris propellitur, ac si velum ventus post flumen intenderet. Auxit hunc stuporem in eo comitatu res admodum mirabilis, sed tamē sancti viri moribus comparabilis. Nam sicut ille in hoc mundo conuersatus inter grassantis stultitiæ turbines, nec ignem superni amoris, nec veritatis lumen amisit, ita cædelæ iuxta sacrum illius corp<sup>o</sup> accensæ tempestatum flamina atq; imbrium flumina iugi sereno despexerant, consalutantibus tam clarum signum, & coniubilantibus vtrisque littoribus. Hac alacritate urbem prædictam ingressi, obuiam habuerunt sacros cleri ordines, & præuia religionis vexilla, cū reliquo processionis ritu, principemq; THEODVM prouinciæ cum optimatib<sup>o</sup>, effusa in aduentum sui patroni tota regione, quorum hymnisonis vocibus tellus videbatur esse concussa. Itaq; in beati \*GREGORII Martyris Ecclesia, quâ ipse quondam orationū familiaritate frequentabat, sollempni celebritate composito truculentia furentis auræ quieuit reditq; pax ætheris & arbitriū luminis. Traditur autē firmatq; assertione probatur, quod in illa via, qua leuatus à nauì ferebatur ad Ecclesiam triginta signis diuina cum pietas CLARIFICARET.

XV.

Quoniam de exercitio certaminis Pontificis atq; triumpho cognita & credita contexuit oratio, consequens esse vi-

\*Georgij.